



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

7. S. Wilibaldus Episcopus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Wilibaldi Ecclesie
Eystettensis primi Episcopi, &
Patroni.

EXHORTATIUNCULA I.

HÆres nascitur Wilibaldus Regni
Anglici. At maluit pro Christo
exulare, ut cœlum pro terra emeret. In
exilio vivimus, mi dilecte fili! Et tamen
hoc flebile exilium plùs quàm patriam
& cœlestem Jerusalem diligimus! Plùs
mundi bona, & corporis commoda quaerimus,
quàm beata gaudia, eaque immortalia.
Hinc timendum, ne utraq; perdamus!

Instructio meritoria.

Ut Eystettensium Ecclesia Deo semper
maneat junctissima per fidem, & sacra
Evangelia, oremus *Officium de SS. Trinitate*,
cui S. Wilibaldus omnia Regna mundi
postposuit, spectaculum factus contemptus
sui sæculo, & cœlo. Deserenti seipsum
proximus semper est Deus.

II. Quid

II.

Quid video? cum Patre Richardo, sceptrô, & coronâ pro Christo positâ, abeunt & liberi, unanimes paterni consilii comites. O cœlestes, & mundo majores animæ, quas nec caperent ampla regna, quibus nil præter cœlum sufficeret! Fili! Et cur nobis non sufficit? Quia toti in- & de mundo sumus, ac vivimus. Hora est! Tandem deseramus, ne deseramur ab eo. Unum ut fiat, expedit!

Instructio meritoria.

Frequenter suspiremus, & dicamus anhelantes: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum &c.* Et soli cum solo Deo agere discamus fugientes frequenter publicum. Et quem non poenituit fuisse inter mortales? Fugiamus, ut salvemus animas nostras. Conspergimus has lutô, quoties nimis familiares sæculo.

III.

Foenerari discamus à S. Wilibaldo. Usurarius hic fuit, sed sanctus. Nam terram pro cœlo dedit, útque Deum

Deum inveniret, ac in ipso omnia, omnia præter Deum dimisit. Deum querimus & nos, ô fili! Sed cur non invenimus? Non omnia relinquimus. Est cor nostrum divisum inter Deum, & mundum. Et hoc displicet cælo. Totum debemus! Totum demus pro toto. Pars non sufficit illi, qui sua omnia obtulit pro nobis.

Instructio meritoria.

Renovemus hodie vota solemnialia. His jungamus Rhythmum S. Ignatii: *O Deus! Ego amo te! Nam prior tu amasti me! En! Libertate privo me, sponte vincetus sequar te.* Quoties in posterum S. synaxin sumimus, toties supplicemus pro heroico mundi, & nostrum ipsorum contemptu, & perfectissima abnegatione. Sine his & Deo, & homini displicemus.

Festum S. Chilian Herbipolensis Episcopi, & Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

Quàm benè Paulus: Si hominibus placerem, Dei filius non essem. Idem